



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

24. Exponi Nobis nuper &c. Unio Provinciæ Italiæ Fratrum Discalceatorum
Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi
Hispaniæ ejusdem Ordinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Sac. Congregatione Episcoporum anno 1705, die 8. Augusti.

Pontifex confirmat Decretum ejusdem Sac. Congregationis salva &c.

Cum Decreto irritanti.

sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositâ, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & attentis narratis petitam confirmationem Oratoribus benignè concessit. Romæ vii. Augusti MDCCV. N. Cardinalis Acciajulus: Loco † sigilli.

§. 2. Cùm autem sicut dicti Exponentes Nobis subindè exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summo perè desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinfertum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salvâ tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Provincialium, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum inferis habentes, illis aliis in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Septembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

F. Oliverius:

XXIV.

UNIO PROVINCIÆ ITALIÆ

Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi Hispaniæ ejusdem Ordinis.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Amedeus de Sanctis Frater expressè professus, ac Procurator Provinciæ Italiæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemp-

tionis Captivorum, quod cum aliis tunc existentes Fratres Discalceati trium Conventuum Italiæ dicti Ordinis, ob defectum regulatis observantiæ, aliisque justis, & rationabilibus de causis in Congregatione tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositâ probatis, & justificatis, proprias obligationes nequaquam adimplere, minusque aliquos, sive in spiritualibus, sive in temporalibus religiosos progressus facere valerent, seque proindè Congregationi Hispaniæ Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis uniri petissent, & successivè Superiores dictæ Congregationis consensum unioni hujusmodi præstitissent, ac deindè iidem Fratres Discalceati Provinciæ præfatæ supplicem libellum fel. rec. Innocentio Papæ XI. Prædecessori nostro pro unionem hujusmodi obtinendâ porrexissent, isque ab ipso Innocentio Prædecessore ad dictam Cardinalium Congregationem, & ab eadem Congregatione ad bon. mem. Alderanum S. R. E. præfatæ Cardinalem Cybo nuncupatum dicti Ordinis, dum vixit, apud eundem Innocentium Prædecessorem, & Sedem Apostolicam Protectorem remissus fuisset, dictus quidem Alderanus Cardinalis, & Protector suum pro dictâ unionem votum justis de causis una cum eo relatis præfatæ Congregationi Cardinalium exhibuit; verum cum die quintâ Maii MDCXC. causa in ipsâ Cardinalium Congregatione proposita fuisset, dilato circa dictam unionem negotio, emanavit ab eadem Congregatione Decretum, quo pro tunc ex tribus Conventibus præfatis constituta fuit separata, supradicta nempe Italiæ Provincia, quorum Conventuum Religiosi sub obedientiâ Ministri Generalis dicti Ordinis juxta formam tamen in quibusdam rec. me. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri literis in simili formâ Brevis die xii. Septembris MDCXXIX. expeditis præscriptam permanerent. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Religiosi observantiam Constitutionum dictæ Congregationis Hispaniæ in solenni eorum Regulari professione expressè promiserint; adeoque eas observare teneantur; illa verò ipsos ad subjectionem pro tempore existenti Ministro Generali ejusdem Congregationis Hispaniæ omninò obligent, ipsique proindè, quo faciliùs vota sua Altissimo reddere, & propria Instituta regularia adimplere valeant, memoratæ unionis gratiam summo perè expectant; Nobis propterea dictus Amedeus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsius Amedei votis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris dictæ S. R. E. Cardinalibus super causâ hujusmodi unionis dictæ scilicet Provinciæ Italiæ, omniumque ejus Religiosorum præfatæ Congregationi Hispaniæ inter eundem Amedeum ex unâ, & Dilectum etiam filium Vincentium Coppolam Procuratorem Generalem dicti Ordinis ex alterâ partibus controversâ à Nobis specialiter deputatorum, qui ipsos Amedeum, & Vincentium Procuratorem Generalem, tam ore, quam scriptis informantes audiverunt, negotioque mature perpenso, justis, ac rationabilibus de causis unio-

Prozémium.

Decretum Sacre Congregationis Episcoporum.

Pontifex unit, & annectit Provinciam Italiae Congregationi Hispaniae.

Cum Decreto irritanti, & clausulis salutaribus.

nem praefatam fieri posse consueverunt, consilio, praefatam Provinciam Italiae dictae Congregationi Hispaniae, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, unimus, conjungimus, annectimus, & incorporamus; ac Dilecto Filio moderno, & pro tempore existentij Ministro Generali ejusdem Congregationis subijcimus.

§. 2. Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac memorati Urbani Praedecessoris super erectione Congregationis reformatae Fratrum pariter Discretorum dicti Ordinis, & quibusdam nostris, etiam in simili forma Brevis die XVII. Augusti MDCCIII. super unione, seu confirmatione Capitulorum unionis totius ejusdem Ordinis respectivè emanatis literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon praefatae Congregationis Cardinalium Decretis, ac Provinciae Conventuum, Congregationum Hispaniae, & Reformatae, & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alià roboratis Statutis, & consuetudinibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem profusus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur; si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die xx. Novembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

F. Oliverius.

ANNO 1706.

XXV.

ASSIGNATIO

Loci fixi perpetui inter Auditores Rotae Perusinae uni ex Civibus Civitatis Urbini, qui in illius Studii Generalis Universitate ad lauream doctoralem in utroque Jure promotus, & Collegio Generali, Doctorum ejusdem Civitatis adscriptus sit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut Dilecti Filii Communitas, & Homines Civitatis nostrae Perusinae, Nobis nuper exponi fecerunt, dudum in dicta Civitate Tribunal Rotae nuncupat. ad Causarum decisionem per quasdam fael. rec. Clementis PP. VII. Praedecessoris nostris literas in simili forma Brevis expeditas erectum, ac per statuta, & ordinatio-

Clemens VII. Rotam Perusinam crexit.

nes ipsius Tribunalis vigore facultatis per dictas Clementis Praedecessoris literas attributae condita, expressè cautum fuerit, ut quatuor Auditores, quibus Tribunal hujusmodi constat, Exteri, seu Forenses esse deberent, nunc tamen unus eorum juxta aliarum rec. mem. Clementis PP. X. Praedecessoris pariter nostri in eadem forma Brevis emanatarum literarum dispositionem ex Doctoribus Legistis, qui de Collegio Doctorum dictae Civitatis Perusinae existant, & alter in vim conventionis aliàs inter eandem Civitatem Perusinae ex una, & Civitatem pariter nostram Maceraten. ex altera partibus initae, ac per Nos hodie, seu nuper per nostras in pari forma Brevis literas confirmatae, ex Civibus ipsius Civitatis Maceraten. respectivè eligendi sint; reliqui verò duo ex aliis etiam Civitatibus, seu locis liberè eligantur; Ac proinde ipsi Exponentes perpetuum aliquod sincerè eorum in Nos devotionis, propensaeque in Civitatem etiam nostram Urbanen., Patriam nostram dilectissimam, voluntatis, nec non praeclearae, quam de eadem Civitate habent, astimationis argumentum extare cupientes, post maturam à Magistratu, & deinde in publico, & generali Consilio dictae Civitatis Perusinae. communibus suffragiis habitam deliberationem, Nobis supplicandum esse duxerint, ut singulis quadrienniis, quibus juxta praedictarum Clementis VII. Praedecessoris literarum formam ad Auditorum praefatorum electionem deveniri solet, unum eorum è Civibus dictae Civitatis Urbanen., quam plurimum semper doctrinae, & integritatis laude praestantium Virorum copia florere conspiciunt, de caetero assumendum esse decernere dignemur; Nos ipsorum Exponentium votis hac in re favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, haturum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. super Consultationibus Civitatum, Terrarum, & Locorum Status nostri Ecclesiastici, auctoritate Apostolica deputatorum, qui rem maturè discussissent, consilio, ut de caetero perpetuis futuris temporibus unus ex Auditoribus Tribunalis Rotae praefati, quotiescumque eosdem quatuor Auditores renovari contigerit, è Civibus, dictae Civitatis Urbanen., qui in illius Studii generalis Universitate ad Doctoratus lauream in utroque Jure promoti, necnon Collegio etiam generali, ut vocant, Doctorum ipsius Civitatis adscripti fuerint, ac caeteroquin qualitatibus in Tribunalis praefati erectione, seu aliàs requisitis praediti reperiantur, ab illis, ad quos spectat, servatis aliàs servandis, eligi, seu assumi debeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, & ordinamus, Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Civitatis Perusinae,

Statuit, ut quatuor constaret Auditoribus exteris, seu forensibus.

Clemens X. unum ex ipsis ex Collegio Doctorum Civitatis Perusinae eligi indulgit

Alterum eligi ex Civibus Civitatis Maceratae juxta conventionem inter d. Civitatem, & Civitatem Perusinae initam indulgit Clemens XI.

Itaque duotantum Auditores ex aliis locis eligendi superessent.

Civitas Perusina supplicavit Sanctitati suae, ut locum fixum in dicta Rota uni Civitatis Urbini decerneretur.

Sua Sanctitas de consilio Sac. Consultae annuens petitioni.

Locum fixum perpetuum in d. Rota assignat uni ex Civibus Civitatis Urbini, qui in illius Universitate lauream doctoralem suscepit, & Collegio Doctorum ejusdem Civitatis adscriptus, aliisque necessariis requisitis praeditus sit.

Cum clausula sublata, decreto irritanti, & derogationibus opportunis.

Perusinae,